



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Romvaldvs Ab. 19. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

animam suam vidisses. At ille bis tantum in septimanâ cibum capiens crebro interim corpus in vepres abiciens ad martyrum patientiam se durabat. Post Romam profectus, & Archiepiscopus honore mactatus, & jam ad purpuram aspirare ausus, in Russiam abiit. Ibi post multa ludibria rex cum Divo ita paciscitur. Si rogos geminos, qui juncti flammâ sociarent, illæsus perambulare, tum sese etiam in Christianorum sententiam pedibus ambulaturum. Dictum, factum. BONIFACIUS per rogam, rex ad partes Catholicorum transit. Ad regis porrò exemplum innumera multitudo confluit. Mox sua laborem premia secuta. BONIFACIUS à germano Regis, capite truncatus nomini denique suo satisfecit. *Ex Per. Damiano ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.*

S. ROMVALDVS AB. 19. Junii.

Spectator fortè ROMVALDVS adfuit, cum parens duello germanum suum sustulit. Itaque cum animo suo putans censuit, quod pater manu, hoc se oculis parricidium perpetrasset. Quare ad noxam expiandam, concedere ad aliquod tempus in cœnobium statuit. Sed familiaritate cœnobitæ, nescio cujus, & aspectu è cœlo semel iterumque ad se venientis D. Apollinaris captus, pedem, ne sepius offenderet, nunquam jam

jam referre in mundum statuit. Quare fundamenta Ordinis illius jecit, quem hodie Camaldulensem dicimus; qui quidem in quantum brevi fastigium assurrecturus esset, scalæ indicarunt ROMVALDO per quietem visæ, in quibus suos pulchro ordine ad cælum vidit conniti. Neque dubitarunt nobilissimi quiq; proceres ex aulâ Ott. III. Imp. hâc viâ cælum petere. Ipse Imp. Romam abiturus, post reditum iisdem accessurum se spondit. Sed ROMVALDVS illa subjecit: *Si Romam videbis, Ravennam ultimùm vidisti.* Nec fellit. Redeuntem mors ex itinere insidiis suis excepit, documento futurum iis, qui cum mundo exire laborant, iter tamen differunt, aut viarum ambages quarunt, cum compendia haberent. Ad Casarem quoque Henricum cum venisset ROMVALDVS, velut ad prædam accurrit aula, vestemque ejus pelliceam diripiens, ostendit quanti virum faceret, è cujus veste unicum pilum tanti fecit. Henricus ipse in eam vocem erumpere auditus est. *O anima hæc meæ domicilium tuum haberet corpus!* Audi orbis. Casaris anima non credidit augustiùs se posse habitare, quàm in religiosi hominis corpusculo. *Ex Brev. Rom. & Sar.*